

C V D

A I G G

T 5 9 6

99



C. e. 88

Wynke Dyck

01

0

Me

~~2 N. 28.~~

II 2. c. 28

ELOGIVM  
ERHARDI HOF-  
MANNI, BONARVM AR-  
TIVM MAGISTRI, PROFES-  
soris mathematicum in acad.  
IVLIA.

*Per scriptum ab*  
IOANN. CASELIO.



Helm. in ac. IVL.

cid. 13. XCIII.

ELOGIVM

ERHARDI HOF

MANNI BONARVM AR

TIVM MAGISTRI PROFS

JOHANNIS MARCHENI IN ACAD

VLLIA

Per scriptum ab

IOANNI CASSELIO



Helm in ac. IV. E.

MD. XCIII





## ELOGIVM

ERHARDI HOFMANNI,  
BONARVM ARTIVM MAGISTRI,  
professoris mathematicum in acade-  
mia IVLIA.



I domi suæ diem obiisset Hofmannus, mathematicarum disciplinarum in academia Iulia doctor primarius, benevolentiam, qua eum semper optimus quisq; singulari prosecutus fuit, postremo illo officio in deductione funeris frequentes nos quoq; declarassemus. Dolorem autem in primis ab illo tristi nuncio congressibus nobis inter nos abundè restatum fecimus. Grauem enim eum accepimus & nostro nomine & publico. Nos enim collega & amico, iuuentutem fideli disciplinarum mathematicarum doctore orbatam intelligimus. Præter autem illud officium, quod præstitum ei tamen omnium nomine ab ijs fuit, quibus demandatum fuerat; nihil opinor rectius à nobis fieri potest, quàm vt primum cedamus necessitati, & quod Deus iubet, æquo animo feramus: deinde, vt tanti viri memoriam, quod in nobis est, ab interitu vindicemus. Hoc haud dubiè monumentis ingenij fecisset ipse, nisi in senectæ vestibulo cecidisset. Dicam igitur, sed potissimum de præcipuis eius bonis: cæterorum alia attingam, alia relinquam. Quid enim in ijs multus sim, quæ non in re ipsa, sed in opinione hominum, minus rectè iudicantium, posita sunt? Nam si rem recta via reputemus, perinde ferè fuerint, quo loco, quo tempore, quo quis genere in lucem editus sit, qua specie cor-  
poris

poris, quid fortunarum adueniens inuenerit. Hoc plurimum refert, quo quis ingenio natus, quomodo educatus, quibus animi dotibus ornatus, quàm benè vitam egerit. Tamen nec illa in vniuersum negata fuerunt Hofmanno. Notum est in Francia Germaniæ oppidum Hedisfelda: Franci autem duobus nominibus à multis sæculis prædicati fuerunt: quòd viri fortissimi, quod ijdem constantissimi. Nec ferè aliter fieri potest, quàm vt integer idem sit, qui fortis. Patrem habuit Leonardum illius loci consulem, honestum & prudentem virum, cui & vitæ necessaria facilè suppeditarent. Hic officium patris fecit, quòd cum videret filiolum haud vulgari indole, bonis moribus à prima pueritia expoliuit, & bonis litteris erudiuit. Carus autem fuit admodum puer viris primarijs, qui cum etiam ornatum vellet, cum adolescentulo sacerdotia ostenderent, in quibus & dignitas & fructus. Sed eum pater à superstitione remouens Martisburgi educari iussit & Naumburgi. Iis in locis cum accepisset bonæ doctriinæ rudimenta, adolescens Ienam venit: in qua academia preciosiores animi merces labore, quem nec ipse grauem, desiderio doctriinæ refugiebat, sibi, quasi in celebri sapientiæ mercatu, comparabat. Hoc nomine & doctoribus carus erat, & sodalibus: illos etiam obseruantia, hos facilitate morum sibi deuinciebat. Itaq; & sodales eius exemplo excitabantur, & doctores ei, quod vellet, sine inuidia offerebant. Etsi autem nullum erat bonæ doctriinæ genus, quod non in precio haberet atq; delibaret, auidus omnis generis sapientiæ adolescens: tamen mathematicas disciplinas natura expetiuit, sibiq; præ cæteris excolendas sumpsit. Vnde apparet, nec ambizioso animo fuisse, nec auaro, qui sectaretur sterile, vt vulgus iudicat, sed longè perfectissimū, diuinumq; adeo doctriinæ genus: de cuius præstantia tam angusto loco dici non potest, neq; ego hoc instituiam. Vtinam, quæ appellantur mathemata, non in tanto contemptu sint: sine quibus omnem ad sapientiam aditum interclusum esse statuebant veteres, qui reconditas doctriinas pulli aperie-

poris

A

aperie-

aperiebant ἀνωμετερήτω, & mathematicis principijs eruditum solum esse amplissimarum sapientiæ doctrinarum capacem, graui-  
ter & verè iudicabant. Verum non nouum est, sed omnium sæ-  
culorum omniumq; gentium, vt plariq; vmbras sectentur, reli-  
ctis rebus. Apertius idem dicam: quæ fructus ferunt sensibus  
expositos, ea studia frequentes & omni contentione colimus:  
veras animi opes flocci facimus, vt putidas abijcimus, tum quia  
magno labore emuntur, tum quia rem familiarem non augent.  
Sed hæc querela ingrata est, & incassum iteratur: nec aliud fu-  
turum est, quàm vt paucissimi ramum illum aureum eximia vir-  
tutis & veræ sapientiæ, sibi defringant. Hofmannus autem nobi-  
le institutum persequens, cum dies noctesq; idem ageret, pro-  
gressus fecit in ijs, quas dixi, disciplinis, quantos æqualium vix  
aliquis, vt earum non iam auditor, sed artifex haberetur. Tum  
verò etiam cogitabat de vitæ genere, quod si minus splendidum,  
tranquillum tamen, ipse coleret: academiam etiam luculentæ  
fortunæ anteferens: de mea sententia, benè: quod tamen vul-  
go non videri, referre parum arbitror. De nuptijs item consili-  
um cepit iuuenis, & vxorem duxit ibidem, Ioannis Bruningij,  
bonarum artium magistri, filiam. Paulò pòst & ipse bonarum ar-  
tium magister publica sententia renunciatus fuit, cum & cæte-  
ras diligentissimè didicisset. Sic autem porro rei familiari stude-  
bat, vt & studia eadem persequeretur, & prodesset simul iu-  
uentuti. Audierat enim Theognidem.

χρη̄ μουσῶν θεράποντα ἢ ἄγγελον, εἴ τι περισσόν  
εἰδείη σοφίης μὴ φθονερόν τελέθειν.

ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσος, τὰ δὲ δέκνυναι, ἀλλὰ δὲ ποιεῖν.  
τί σφιν χρη̄σηται μένος ἐπιστάμνου;

Seruare videlicet vtroq; modo nos musis oportet: tum vt in eo  
ministerio ex ijs discamus: tum & ab ijs ad alios sacram legatio-  
nem obeamus. Nec verò ad expoliendos alios in primo tiroci-  
nio nos conferemus, sed ipsi antè benè eruditi & doctrinæ copia  
instructi, tum demum docere alios conabimur. Nec omnia

sunt sine virtute litteræ: in primis vacare debemus, cum omni alio affectu pestilenti, tum invidia. Quisquis invidus, inimicus est generi mortalium; de nemine bene mereri, si possit, velit. Nostræ autem sunt partes, cum alia mala auertere, tum inscitiam propulsare, quæ & vitiorum & calamitatum fœcunda parens est. Docti igitur doceant: & cum longinquis, & cum posteris ingenij monumenta communicent: in quo qui seriò sunt, ab indagatione veritatis neq; tum cessant. Etsi enim illis animi bonis quisq; maximè sibi perfruitur: tamen maior apparet vtilitas, quæ & ad alios redundat. Docebat Hofmannus in illa academia quotidie, cum laude sua & vtilitate auditorum. Lux illius doctrinæ refulsit longius, & ad academiam Iuliam emisit illustrem radium: famam statim confirmavit præstantium virorum, ac pondus habuit Oueni Guntherij collegæ nostri testimonium. Accitus ille deniq; huc fuit: auditus publicè: placuit collegio. Docendi mathematicum munus ei tribuit in hac à se primum condita, de se nominata academia IULIA, dux sapiens & beneficus IULIVS. Agebat enim omni studio, vt non nisi eximijs viris docendi munus crederet. Id enim ex dignitate suæ academix, & ex vsu iuuentutis, quæ huc discendi gratia iam tum adfluebat, futurum, sapienter iudicabat. Sic vt initio frequentaretur hic locus, & esset exemplum, à quo posterì non deflecterent: quemadmodum omnino hodie dux Henricus Iulius, Iulij filius, idem agit, & paternam sapientiam & beneficentiam ita primo exortu imperij sui æquavit, vt, quod ille, filij amantissimus pater, ab initio optauit, paucis annis, superaturus videatur. Nec id aliter futurum est. Nec enim, à quo hætenus nihil, nisi heroibus dignum præstitum fuit, aliud expectari potest. Igitur Hofmannus magna cum laude à primordijs academix nostræ, quam diu vixit, docuit: nec vllum officium diligentis & acuti mathematici prætermisit. Namq; & rudimenta tironibus proposuit, quoties opus fuit, & idoneos auditores in artis adyta deduxit neutra in parte laboris fugiens, qui illic molestus, hic  
gravis



gravis subeundus erat. Nec quidquam eum fugere poterat. Etenim in omni matheſeos parte minimè vulgariter ab adoleſcentulo verſatus fuerat, ac primum in iſtis fontibus. Nam in geometricis demonſtrationibus documenta multa dedit: quod ad arithmeticen, non ſolum in illa vulgari expeditus, ſed multo magis in omnium abditiffima ſchematicis, quæ Coſſica vulgo dicitur, occupatus fuit. Ita præterea verſatus in mixtis phyſica mathematicis, aſtronomica, logiſtica, optica, vt nihil omnium ignoraret, quæ in excellentiffimo mathematico deſiderari poterant: in locorum dimensionibus & in mechanicis inſtrumētis conficiendis ſummos artifices æquabat. Itaq; ipſum etiam collega Duncanus Liddelius Scotus, qui ipſe nulla parte philoſophiæ neglecta, in iſdem diſciplinis longè excellit, pro artifice ſemper habuit, & hodie apud omnes clara voce prædicat. Poſtquam enim Duncanus huc ad docendum venit, de multis & ſingularibus ſæpe communicarunt. Etenim Hofmannus inuidia vacabat in vniuerſum: & ſi animum ſpectares, omnibus ſe integrum probabat, in conuictu etiam facilis & ſuavis. Itaq; quod officij cultor, nemini non carus erat: apud magnos viros & doctrinæ omnis generis cultores & patronos, etiam in precio: in cæteris Auguſto ab Aſſeburg, Gunthero & Guncelio fratribus germanis à Bartefleben, Iulio à Marenholtz. Iſ præcipuè gratificabatur in multis, & cum ante dies pluſculos ad ſe vocarant fratres Barteflebij: quibus dum operam dat, præter exſpectationem graui laterum dolore correptus, octauo die naturæ debitum perſoluit: cum vixiſſet annos vndequinquaginta, menſem vnum, dies pluſculos. Anaxagoram, qui mente totus ad abdita naturæ & ad cæleſtia ferebatur, ſibi cælum eſſe patriam, ſeq; eò aspirare, ſubinde dixiſſe ferunt. Ex certiore diſciplina idem ſenſit Hofmannus, atq; in huius vitæ termino conſtitutus animam vnico ſeruatori credidit. Si quis de exuijs quærit; funus ex arce Voſfeldum, quod eſt vicinum Bartiflebix gentis oppidum, ipſi viri nobiles, eorumq; hospites, equeſtris

stris ordinis plures, & qui ex collegis, vt initio mentionem fecimus, publico nomine illuc ierant, solemnibus adhibitis cæremonijs, deduxerunt. Filij, vt auguramur, paternis vestigijs non abibunt. Sunt enim ingenio bono, & educantur in litteris: quos etiam hortamur, vt patrem sibi imitandum proponant, omni studio literas porro colant, hac ætate nulli rei magis incumbant, quàm modestiæ. Ita futurum est, vt paternos amicos retineant, & ipsi novos facilè inueniant, quorum beneficentia subleuentur, hoc patrimonium alterum sibi, nec minus certum patrimonium rati: nec nos iisdem fideli consilio deerimus, & opem ferent qui nostrum poterunt. Nec enim ignorare nos oportet, nec obliuisci, quid collegarum liberis debeamus, id videlicet, quod nostris præstari aliquando à collegis humanum ipsisq; dignum esse censeamus.

F I N I S.



EPITAPHIVM.

**V**er erat, & letis nunquam spirantibus auris  
Stabat inhumano nigra colore dies,  
Luna subobscura plangebat squallida nocte  
Mundi etiam latus imbre tegente genas.  
Sed cur diua tuos quærebam Cynthia tractus  
Tam niger in cælo vultus & orbis habet,  
Ut nil quam pluias, vel quod lachrymabile visum  
Et nil quam quod sit triste minaxq; feras?  
Illa refert: cælum qui scrutabatur & axem  
Et docuit nostras ire redire vias.  
Iste vir ereptus terris, cælisq; locatus  
Occidit, & luctus signa tremenda dedit.  
Inde tot in terras imbres pluiasq; ciemus,  
Et mortem ruptis significamus aquis.  
Sed quoniam nostris nunc nunc sese inserit astris  
Nos hîc in cælis turba beata sumus.

M. Hartuicus Smidestedt. Oratoriæ  
in Iulia illustri Professor.

In obi-

FINIS

In obitum Collegæ sui Charissimi,  
DN. M. ERHARDI HOFMANNI  
V. Clariss.

Dicti  
Apocalypseos XIV.

Beati, qui in Domino moriuntur.

Paraphrasis metrica.

**Μ**ακάριος ἄνθρωπος ὁ ἄλβιος, ὅστις εἶδε  
ἐν χειρῶν ὁπίω, εὐσεβέως τε θανεῖν.  
σῶμα μὲν ἔξαιμον τέτρα μαλακῶς καθεύδει,  
ἐν γῆ κούροτρόφῳ τύμβον ἔχειτε καλόν.  
οὐ μόρον οὐδὲ τρομῆ δρύαμον, μηδὲ νόσισι  
ταρόμυρος λίην τῆς χαλεπαῖσι ἀχῆι.  
οὐ φοβέει λοιμὸν, λιμὸν τε, πολύστονον οὐδὲ  
νυκτὶ φοβῆ πόλεμον, νόσφιν ἄπριτε κακῶν.  
αὐτὰρ ἐν ὄμμασ' ἔχει περιφάντις ἡδύα ὕπνου  
προσδοκῶν νόστον λαοσύοιο εἴου.  
ἢ κόσμοιο κριτῆ περικαλλέα χριστῆ ἀκέρω  
Φωνῆν, ἢ σάλπιγγ' οὐρανίου χορῆ:  
βήσεται ἐκ τύμβου τάχα δοξαδοίς τε ἢ ἀγνός  
ἐκποδῆν συγρῆ τῆ θανάτιο βροταίν.  
ἢ ἅμα τοῖς ἄλλοις μακάρεσσι εὐφρονα αἰεὶ  
ἐν χορῶ ἀθανάτων τὸν βίον ἐστὶν ἄγων.

M. Henricus Papæburgerus in Acad. Julia  
Professor publicus F.

FINIS.

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...  
LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...

LIBRARIUS DE VICO DE TAD...



In nomine Domini Amen  
Hic incipit Liber Primus  
de Vita et Moribus

Beati patris Domini Gregorii  
Papae Magni

Epistolae  
ad Romanos  
ad Corinthios  
ad Galatas  
ad Ephesios  
ad Colossenses  
ad Thimotheum  
ad Titum  
ad Hebraeos  
ad Romanos  
ad Corinthios  
ad Galatas  
ad Ephesios  
ad Colossenses  
ad Thimotheum  
ad Titum  
ad Hebraeos


De Vita et Moribus  
Beati patris Domini Gregorii  
Papae Magni




154299

X 220 3730

Sb.







ELOGIVM  
ERHARDI HOF-  
MANNI, BONARVM AR-  
TIVM MAGISTRI, PROFES-  
foris mathematicum in acad.  
IVLIA.

*Per scriptum ab*  
IOANN. CASELIO.



Helm. in ac. IVL.

MD. D. XCIII.